

ter castigantur. Etenim omnes disciplinae, etiam practicae, habent, quae demonstrant. Docent namque, definiunt, dividunt, probant, regulas & canones condunt, & ita scientiam aliquam pariunt: & cui in practicis non nota sunt, quae ita docentur, praxin recte nullam obire potest, quia ignorat, quid, quomodo & quare debeat agere. Nec tamen propterea disciplinae illae practicae sunt ex theoria & praxi mixtae. Quin potius, quia docent & demonstrant, ut aliqua juxta demonstrata agantur, propterea sunt practicae. Quae autem docent simpliciter, nec finem ullum alium intendunt, praeterquam ipsam scientiam, theoreticae sunt. Theologia igitur, siue doceat aliquid, siue agat, siue nullam impendat actionem, non potest dici, quod ex theoria & praxi mixta sit. Praxis enim non miscetur theoriae, sed eam subsequitur.

49. Executiendum igitur omnino est, siue theologia disciplina theoretica, an practica. Ubi tamen ante omnia ambiguitas vocis removenda est: quia, si theologiam nomino, aliqui possent hic intelligere ipsam sacram Scripturam; aliqui fidem Christianam salvificam; & aliqui opera ministerij ecclesiastici.

50. Sed Scriptura cum sit principium theologiae, quae ex illa haurit, quicquid asferit, proprie non est ipsa theologia. Est enim ipsum verbum Dei in ea loquentis revelatum, in quo principium universae continetur theologiae. Et quae mysteria in illa recluduntur, ea omnia theologus attendit, articulos inde & locos theologicos condit, quae ei consentanea vel dissentanea sunt, docet, ipsumque Scripturae textum secundum analogiam fidei explicat, & ex eo doctrinam eruit & confirmat. Articuli igitur fidei à theologo propositi non sunt ipsum principium, ut putavit Thomas, sed enunciationes & conclusiones theologiae è verbo Dei deductae. In illo Deus loquitur & revelat, quae homo naturaliter ignorat. Theologia autem est habitus quidam in mente theologi è fundamentis verbi divini seu S. Scripturae diligenti scrutatione, beneficio certarum definitionum, regularum & divisionum, comparatus, quo omnia fidei capita, quae sparsim in Scriptura proponuntur, artificio ordinis ad sua loca revocet & distinctis articulis dispescit.

51. Sic quoque si religionem seu fidem Christianam nomino, aliud quid, quam theologia, insinuatur. Denotat enim proprie religio